

eremus, *Eustrat. in proem lib. 6. Eth. p. 136. col. 1. n. 10.* quod, ne  
faciamus præmissis aliquibus generalibus, ad Tractationem i-  
psam virtutum intellectivarum, hac disputatione nos accingem.

*Lib. 6.*

## Thesis I.

*Et h. cap. 1*

Proæmio docemur ad virtutum intellectivarum naturam  
plenè cognoscendam, necesse esse non subiectū modo earum: sed  
& principia cognitionis & actionis perspecta habere. *Eshicus no-*  
*ster Clariss. Dn. M. Christoph. Neander in disput. Eth. 8. 0 1.* Est  
autem subiectum animus per se & essentia sua & ratione prædi-  
tus, cujus pro varietate rerum subiectarum, in quas exercetur,  
quarumcunq̄ue notitiam apprehendunt duæ animæ partes seu fa-  
cultates, quarum I. dicitur *Contemplativa* quæ necessaria perci-  
pimus, ut ea quorum principia aliter se habere non possunt. II.  
*Practica*, qua percipimus ea, quæ modo fieri non possunt, & quo-  
rum principia non videntur esse necessaria: sed potius contin-  
gentia *Acciaj. lib. 6. Eth. c. 1. § 7. p. 449.*

II. Harum munus proprium est contemplatio veri, dispari  
tamen ratione: contemplativa enim pars in sola veritatis cog-  
nitione acquiescit, intraq̄ue eam se continet, nec quicquam fu-  
giendum an expetendum sit, laborat *Aristot. 3. de anima cap. 9. 1.*  
*46.* Practica vero foras spectat, & cognitionem ad actionem  
dirigit, negotiisque humanis accommodat *Aristot. d. 1. t. 49.*  
*Thom. lib. 6. Eth. lect. 2. col. 3 p. 101. H.*

III. Ut autem veritas tam illius quam hujus partis eluce-  
scat, tribus necesse est ut utamur principis. I. *Sensibus* non  
quod in actiones vim aliquam exerceant, illisque præsideant: sed  
ut cognitioni tantum serviant. II. *Ratione* quæ in necessaria &  
ea quæ contingunt suam partitur operationem. III. *Appetitus*  
*seu voluntate*, quæ tam sensuum, quam intellectus activi quasi quæ-  
dam ministra est, cum illi appetenda & fugienda proponant,  
materiamq̄ue operandi ipsi offerant, intellectus vero quæ eli-  
genda & repudienda sint judicet, atq̄, utrisq̄, his convenientem  
modum præscribat. *Eustrat. lib. 6. Eth. c. 2 p. 226. col. 1. n. 40.*

IV. Ex his apparet, nulli actioni sensum præesse: sed totum  
in ipsam, intellectum & appetitum, dominium obtinere,

illum